

mero dierum VI. *Libris*, non tamen in capita divisis, omnia prout Edit. *Maur. Paris. 1686. T. I. col. 1. f.* Initium est: *Tantumne opinionis assumpsisse homines &c. Lectio raro ab Editis abit. C. 1. ubi haec: quod ei mens divina, ut putant, inesse videatur, Codex re-ctius: inest.*

II. *fol. 95. Incipit De Paradyso Liber Primus.* Ita et in calce, quamvis scribendum erat *Unus.* Initium est: *Et plantavit deus paradysum &c. De paradyso adoriundus sermo non mediocrem estum &c. Ut T. cit. col. 145.* cujus lectio fortasse pluribus locis e Codice juvari possit, qui v. g. *C. 1. pro vir aliquis, habet vix aliquis, item Nunquid indigens eorum pro numquam, item in illo pacis future tempore degere pro in illo pacis futuri tempore absque degere &c.*

III. *fol. 120. Incipit De Cain & Abel Liber Primus.* Ita deinceps et *Secundus.* Initium est: *De Paradyso in superioribus pro captu nostro, ut potuimus &c. Ad finem L. II. nobis deest ultima περιουσις: Unde in lamech septuagies septies vindicatur &c. Lectio ad Edita T. cit. col. 183. non adfurgit; C. tamen 1. n. 3. facile videt lector inter verba Abel et qui omnia interponendum esse e Codice *Luctus.**

IV. *fol. 146. p. 2. Incipit Recapitulatio sancti Ambrosij de Paradyso et de fonte ac fluminibus et de Ligno Vite.* Scripsisset potius, ut fecit in calce, *Recapitulationes de Genesi;* non enim solus hic Liber, sed deinceps reliquus *Pentateuchus,* et Liber *Josue* pervadi-

tur allegoricis Expositionibus, et Quaestionum Resolutionibus. Et *Genesis* quidem ita incipit: *Plantaverat autem Dominus deus paradysum voluptatis a principio. Paradyusus ecclesia est. Sic enim de illa legitur in canticis canticorum. Ortus conclusus es soror mea. A principio autem paradysus plantatur, quia ecclesia catholica a christo principe omnium condita esse cognoscitur. Fluvius de paradyso exiens imaginem portat christi de paterno fonte fluentis &c. Exodus incipit ita: Quod septuaginta anime ingressae sunt egyptum cum iacob. significat septuaginta discipulos &c. Leviticus ita: Diuersitates hostiarum que in ueteri testamento immolabantur dominice passionis imaginem figurauerunt &c. Recapitulationes biblicas ab Ambrosio editas nemo novit. Sed neque lectas esse ex Ambrosij Scriptis ab alio liquet; nullibi enim S. Doctor Paradysum dixit Ecclesiam, aut Christum fluvium de Paradiso exeuntem, aut septuaginta Animas totidem ejus discipulos, aut Mortes esse quatuor &c. Insuper et Stilus Autorem Ambrosio multo recentiorem sapit. Quis vero, et unde has Allegorias legerit, me peritiores dicent.*

CCLXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3288 XII. Folior. 137. f. luculente et bene perscriptus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij Garstensis O. S. B. in Austria* superiore aliud Exemplar est *Ambrosij* mox relati *He-*

Hexaemeron, *L.L. de Paradiso*, et *de Cain et Abel* complexum, cuius lectio fatis proba est. Ad finem *L. V. de Paradiso* non habentur illa verba: *Fiat nobis mane dies sextus*; et *de Cain et Abel* ultima Πειροκη: *Unde in Lamech septuagies septies vindicatur &c.* vel evulsa est, vel nunquam fuit adscripta.

CCLXXXVII.

U. 181

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 293. f. nitide per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et oblatus Collegio Ducali a M. Stephano de Egenburga civitate Austriae infer. qui anno 1433. Academiae Rector, dein ad D. Stephani Canonicus fuit, exhibet sequentia: I. *Incipit exameron Tractatus S. Ambrosij Episcopi de die I.* Ita quidem: *Tantumne opinionis assumpsisse sibi homines videntur &c.* ut edit. *Maur. Paris.* 1686. T. I. col. 1. f. Verum, ubi haec Editio τὸ Ἐξάμηρος *Libros* tantum VI. censet, nostra ad *Libros* IX. progreditur; ita enim Rubricae: *Incipit de die septimo. Incipit de die octavo. Incipit de die nono.* Quid istud? Ad texti sunt non prorsus incongrue *Ambrosij Liber de Paradiso*, et *Libri II. de Cain et Abel.* En tres nostros redundantes, qui in Editis *Hexaemeron* pone sequuntur. Nescio, an Editoribus ejusmodi Exemplar occurrerit. Nostrium satis emendatum est, sed ultimi *Libri Πειροκη* de *Lamech* deficit, quod

jam ad alium etiam Codicem notavi.

II. fol. 92. p. 2. *Prosper de uita aeterna et contemplativa, et continet tres libros.* Ad *Julianum Pomerium* pertinere istud Opus, dixi alio Codice, in quo L. III. c. 15. abrumpebatur. In praesenti folium C. ult. hujus Libri deest. Praefatio init: *Diu multumque renisus voluntati tue &c.* et habet inclusum *Capitulum Elenchum*, ut in illo Codice, post quem continuat: *Itaque iubes ut paucis edisseram &c.* quod rectius, quam in Edit. *Paris. Prosperi Append. col. 1. Paris.* 1711. f.

III. fol. 133. *Incipit breuiloquium.* Nempe *Bonaventurae* jam alias relatum. Initium est: *Flecto genua mea ad Patrem domini nostri &c.* Ut in edit. *Lugd. T. VI.* p. 5. 1668. f. quae tamen Conspectum omnium VII. *Partium* non praemittit, quemadmodum in nostro Exemplo visitur, quod cetera integrum est hac clausula: *Explicit &c. per paulum de niclospurga scriptum et finitum sub anno domini M° CCCC° XXVII. sabbato ante festum michabelis.*

IV. fol. 217. ut e calce adsumendum, *Liber beati augustini de vera et falsa penitencia.* Injuriam fecit Amanuensis S. Doctori. Titulus hic ad Opusculum ei subpositum pertinet, quod rite ad *Append. T. VI.* Edit. *Maur. col. 231.* ablegatum est. Quod prae oculis habemus, Sermo genuinus est n. CCCLI. *De Utilitate agenda Poenitentiae*, qui legitur edit. cit.